

potentia D E I ab interitu sint vindicanda , re-
liquæ vero orbis partes non item .

45. Nos negativam per omnia sequimur , & ut
reliquatum ignobiliorum mundi partium : sic
ipsius quoque Cœli ac Elementorum interitum
vel eam etiam ob causam futurum credimus :
quod illorum nullus planè foret usus in vita æ-
terna .

46. Neque enim tum , ut in hac vita , natura
nostra , Cœli ac Elementorum ministerio sovebi-
tur & sustentabitur : neque etiam per harum
visibilium creaturarum intuitum , animus no-
ster ad contemplationem D E I impelletur : ut
qui non amplius per speculum in enigmate , sed à
facie ad faciem videbit D E V M , sicuti est . 1. Cor.
13. 12. 1. Ioh. 3. 2.

47. Frustra autem planè sententiae suæ præsi-
dium querunt ex enunciato illo Apostolico , quo
ipsam quoque creaturam à servitute corruptionis
liberatum iri Paulus affirmat . Rom. 8, 11.

48. Et si enim liberationis à servitute corru-
ptionis : non tamen restaurationis mentionem fa-
cit Apostolus .

49. Deinde non de eiusmodi liberatione agit ,
quâ in melius mutatae creaturæ perpetuò sint du-
raturæ : sed hoc vult , quod abolitione sua sint libe-
randæ ab horrendo impiorū abiunctu , cui in hoc seculo
sunt expositæ : propter quem mallent per volun-
tatem D E I in nihilum evanescere , quam con-

tr